

1438 quicumque ejus sceleris convictus esset, aliis documento foret, quo minus contra Veneti nominis socios quicquam tale moliretur. Haud tamen negare se, Lucensium oratoribus publice responsum, ut irent, & si per obsidionem non liceret, suos per literas in spem erigerent: fore, ut si a Philippo discederent, Veneti, qui Lucensibus consultum vellent, darent omnino operam, ut quoquo modo Florentini socii a se persuasi, obsidione & bello absisterent; nihilque postea ab Lucensibus responsum. Fateri itaque, datam a se Lucensibus ejusmodi spem: præsidium vero ullum aut datum, aut promissum, negare. Quod autem ad Sforcia stipendium attineret, non esse cur quisquam aut avaritiæ aut ingratitude Venetos accusare deberet, quod illi promissum non redderent: Credere se eo consilio mercenariis militibus stipendium a majoribus constitutum, ut illorum opera, qui aurum impenderent, quum opus esset, uterentur: Verum Sforciam, cui Florentini ipsi tantopere consultum vellent, non modo Veneto nomini non militasse, sed suam etiam operam tunc, quum maxime opus fuit, obstinate denegasse. Irent igitur, & ipsi, quibus ille studiose semper obtemperasset, promissi stipendii rationem haberent. Nam quod de violando fœdere multa minarentur, seque Sforciam secuturos dicerent, facile esse Florentino populo, suam quum veritatem fidem præcipitare; verum sperare se, non multo post fore, ut tam inhumani & perfidi consilii eos poeniteret, daturosque & superis & hominibus, per quos olim servati essent, meritas rupti fœderis pœnas. Cum his curia dimissus, post aliquot dies Cosmus Ferrariam ad Pontificem est profectus. Erat tunc illic, ut dixi, Eugenius: cum quo egit, ut suo nomine ad Venetos mitteret, experireturque an de sententia moveri possent. Missus post Cosmum & Julianus Davantiatus, qui aliquanto minus comiter, quam ille acceptus: homo vehementi ingenio, haud suos latere est passus, quam Florentinorum omnia Veneto vilescere cœpissent.

Picinini &
Sfortia expeditiones
circa Alpes.

Picininus interim, ut dixi, ad Alpes progressus, ubi eas a Sforcianis infestas superare non licuit, retro conversus